

## VERSION LATINE

### Une armée à bout de forces

*Au nom des soldats épuisés, Coenus demande à Alexandre le Grand de mettre un terme à sa conquête de l'Inde.*

Tum Coenus : « Dii prohibeant », inquit, « a nobis inpias mentes ! et profecto prohibent. Idem animus est tuis, qui fuit semper, ire quo iusseris, pugnare, periclitari, sanguine nostro commendare posteritati tuum nomen. Proinde, si perseueras, inermes quoque et nudi et exangues, utcumque tibi cordi est, sequimur uel anteceditur. Sed, si audire uis non fictas tuorum militum uoces, uerum necessitate ultima expressas, praebe, quaeso, propitias aures imperium atque auspicium tuum constantissime secutis et, quocumque pergis, secuturis. Vicisti, rex, magnitudine rerum non hostes modo, sed etiam milites. Quidquid mortalitas capere poterat, inpleuimus. Emensis maria terrasque melius nobis quam incolis omnia nota sunt. Paene in ultimo mundi fine consistimus ; in alium orbem paras ire, et Indiam quaeris Indis quoque ignotam. Inter feras serpentesque degentes eruere ex latebris et cubilibus suis expetis, ut plura quam sol uidet uictoria lustres. Digna prorsus cogitatio animo tuo ! sed altior nostro. Virtus enim tua semper in incremento erit ; nostra uis iam in fine est. Intuere corpora exanguia, tot perfossa uulneribus, tot cicatricibus putria. Iam tela hebetia sunt, iam arma deficiunt. Vestem Persicam<sup>1</sup> induimus, quia domestica subuehi non potest ; in externum degenerauimus cultum. Quotocuique lorica est ? Quis equum habet ? Iube quaeri, quam multos serui ipsorum persecuti sint, quid cuique supersit ex praeda. Omnium uictores omnium inopes sumus. Nec luxuria laboramus, sed bello instrumenta belli consumpsimus ».

Quinte-Curce, *Histoires d'Alexandre*

---

<sup>1</sup> Avant d'entrer en Inde, l'armée d'Alexandre a conquis le cœur de l'empire perse.